

Q.K.
515,
35.

MONUMENTA
GYMNASII HAM-
BURGENSIS

II 9
675

INSTAURATI,

AN. CHRISTI *cl* *l* *oc* LXXV,

EOQVE NOMINE,

BONA VERBA

ET

CONGRATULATIO.

DIVINO MUNERE CRESCIT.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

A. C. M. DC. LXXV.

X 186 3260



D. O. M.
SAPIENTIAE AUCTORI,
INCLYTÆ REIPUBLICÆ,
EJUSQUE PRÆSIDIBUS,
ATQUE MAGISTRATIBUS AMPLISSIMIS, ET
INPRIMIS SCHOLARCHIS,
ATHENÆI INSTAURATORIBUS,
HONORIQUE HUIUS,
UT ET
CLARISS. VIRO RUM,
PROFESSORUM NUPER ALLECTO-
RUM, COLLEGARUM ACCEDENTIUM
AMICISSIMORUM,

L. M. Q.

D.

MICHAEL KIRSTENIUS.

B. F.

A. C. cl^o l^oc LXXV INEUNTE,

POST ANTEGRESSAS CONSULTATIONES, LEGES-
QUE RENOVATAS, ET SC.

DEO NOS RESPICIENTE,

GYMNASIUM HAMBURGENSE
INSTAURATUM EST,

BONI PUBLICI ECCLESIAE, REIPUBL. Q.
CAUSSA.

REMP. REGEBANT CONSULARI POTESTATE
SUMMA

MAGNIFICI, NOBILISS. AMPLISS. Q.

VIRI,

D. NICOLAUS JARRIUS, J. U. L.

CONSUL SENIOR, ET PRÆSES,

CUM PROFESSORES ALLEGERENTUR NOVI:

D. JOANNES SCHULTZIUS, J. U. L.

CONSUL, ET PRÆSES

CUM INTRODUCENTUR:

AMBO CUSTODES SALUTIS PUBLICÆ
VIGILANTISSIMI

SPLENDIDO SCHOLARCHARUM COLLEGIO
PRÆSIDEBAT

NOBILIS, PRUDENTIS. 2.

V I R

D. THEODORUS MOLLERUS, J. U. L.
SENATOR, ET SCHOLARCHA PRIMUS,
REI LITTERARIÆ VINDEB.,

ECCLESIAE PRÆERAT ANTISTES
SUMMUS

VENERABILIS PRÆCELLENS 2.

V I R

D. M. GOTHOFREDUS GESIUS,
PASTOR ECCLESIAE D. NICOL. REVERENDI
MINISTERII SENIOR,

VIR ANTIQUA VIRTUTE, ET FIDE.

OMNES MUSAGETÆ CUM CETERIS
SPECTATISSIMIS COLLEGIS,

QUOS TANTORUM MUNERUM AUCTORES
MUSÆ IPSÆ VETABUNT MORI.

D. XI JANUAR. MENS. JULIANI
ALLECTI CONSTITUTIQUE SUNT PROFES-
SORES IV,

NOB. CLARIS. DOCTIS. Q.

V I R I,

MARTINUS FOGELIUS, PH. ET M.D.
LOGICÆ ET METAPHYSICÆ,

VINCENTIUS PLACCIUS, J. U. L.
PHIL. PRACT. ET ELOQ.

EBERHARDUS ANKELMANNUS,
S. TH. L. LINGVÆ HEBR. ET ALIAR. OR.

HENRICUS SIVERUS, MATHEMAT.
DISCIPLINAR.

INTRODUCTI SUNT EO ORDINE, QUO
CREATI,

D. XXV FEBR. D. XI MART. D. XVIII MART.

D. VIII APR.

CANDIDI CALCULI FUERUNT QUASI
MINERVÆ.

AMICI ET COLLEGÆ

ITE FELICITER, SPARTAS NACTI ESTIS,
EAS ORNATE,

ET ORNABITIS, QUÆ VESTRA EST VIRTUS,
QUAM AUGEAT, ET JUVET DIU DEUS.

ADDATUR CIPPUS QUASI MEMORIALIS.

A. C. cl^o Ibc XI, VII ID. NOVEMBR.
IN COMITIIS REIP. H. SIVE SOLEMNI SENATUS
AMPLIS. ET CIVIUM CONVENTU,
DECRETA FUIT GYMNASII CONSTITUTIO.

A. SEQ. IV. NON. SEPTEMBR.
GYMNASIO MODERANDO PRÆFECTUS EST
PRIMUS

V. REVEREND. ET CLARIS.

M. JACOBUS RENECCIUS,
PASTOR ECCLES. S. NICOL.

A. cl^o Ibc XV, POST PASCHA, LEGES PRIMÆ
PUBLICATÆ SUNT:

QUÆ DEINDE SUNT REPETITÆ, AUCTÆ,
EMENDATÆ,

ET ULTIMO SANCITÆ A. cl^o Ibc LII, IV
NONAR. JANUAR.

HACTENUS HÆC : CETERA,

QUÆ RESTITERINT, PORRO CURÆ ERUNT
DEO, SUPERSTITIBUS, POSTERITATI.

I. DEO OPT. MAX.

SANCTE DEUS, de quo nobis mens insita venit,
Lux minor, ex lucis fonte revulsa tuæ,
Debentur summæ tibi grates, omnia summa
Nempe tibi summo sunt tribuenda DEO.

Nos viles, nullaque sumus virtute potentes,
Tu das, tu reparas quicquid ubique boni.
Auge, quæ nobis nunc incrementa dedisti,
Optima perpetuo coepta favore bea.
Sit princeps pietas, & sit sapientia sollers
Altera, supremum munus utrumque tuum est.

II. HAMBURGÆ.

URBS Albi vicina, mari conjuncta per Albim,
Unde per immensas Orbis aditur aquas,
Erige te, rursus dum reddis gaudia Musis,
Et Musæ referunt munera vera tibi.
Erige te, turre que tuas, vexilla que tende
Altius, & priscis res bene junge novas.
Cum CHRISTO quondam Musas huc Carolus ingens
Miserat, & nati pluribus auxit amor,
Auxerunt alii. CRUX hac sanctissima victrix
Constitit, hanc Pallas docta secuta fuit.
Sed multi casus res turbavere secundas,
Ut variæ versant omnia nostra vices.
Vicerunt iterum, vincunt nunc rursus, & alto
Jam fulsisse reor sidera fausta polo,
Mercurii inprimis, qui longe a Sole recessit
Eous, radiis liber, & ore nitens.
Mercurius placeat nobis (depicta loquamur)
Carus Atlantiades urbibus esse solet :

Sed

Sed geminus, doctusque magis, qui plectra librosque
Dividit, & Musis gaudet adesse comes.

*III. MAGNIFICO SENATUI, PATRIÆ
PATRIBUS ET MUSAGETIS.*

O PATRIÆ Patres, queis publica commoda cordi,

Quos Servatores laudat Apollo suos,

Qua re præcipue vos patres esse probatis,

Nomine quo nullum sanctius, atque prius ?

Affectu præstant patres, curaque paterna :

Esse sibi natos egregiosque volunt.

Non natura bonos homines, sibi nempe relictæ :

Disciplina bonos, Musaque docta facit.

Et PATRIÆ PATRES, quibus est prudentia, cives

Esse sibi natos, eximiosque volunt.

Præstant hoc Musis in aperta Lycea reductis :

Hic homines fiunt, hoc facit esse Patres.

Herculeus labor est vitiorum pellere monstra,

Ducere Pierides Herculeus labor est.

Hoc virtutis opus. Vos ducitis : o bene fiat,

Adjuvet æterna vos DEUS auctor ope.

Civica ponatur vobis in fronte corona,

Civilis, per quos est reparata salus.

IV. AMPLISSIMIS SCHOLARCHIS.

ILLUSTRES radiis, quos circumfudit Apollo,

Quos Deus hic Phœbi jusfit obire vices :

Qui Musas nobis, & doctas redditis artes,

Per quos Parnassi nunc revirescit honos :

Salvete, & vires vestras successibus istis

Discite, Musarum qualia præstet amor.

Non

Non tantum profunt, qui donant rara metalla,
Aut reliquas terræ luxuriantis opes.

Plus præstant, quicumque ferunt meliora beatis
Civibus, unde salus vera, decusque fluit.

Munera sunt hæc vestra, quibus Respublica floret :
Non meritis possunt his potiora dari.

Non aliis etiam crescetis laudibus æque :
Non virtus radio splendidior nitet.

Quilibet egregius civis, bene doctus, haberi:
Et quovis vestrum tempore debet opus.

V. CIVIBUS.

PLURIMA commendant urbes : turresque, domusque,
Mœniaque, & fossæ, templaque juncta foris,

Arma, rates agri, sylvæ, commercia, gazæ,

Pluraque : commendant, egregieque juvant.

Sed servire DEO debent hæc omnia, debent
Virtuti, summo sint leviora bono.

Sunt homines, non sunt lapides Respublica, non sunt
Eruta de terris pondera, deque mari :

Sunt homines virtute boni, CHRISTOQUE fideles.

Sed virtus partes, si numeremus, habet.

Relligio, pietas, sapientia nobilis, artes,

Lingua potens fando, vitaque labe carens,

Hæc ferme absolvunt. Quod si non integra summa

Sperari, tamen hinc pars quotacunque potest.

Vos, CIVES, homines urbi patriæque dedistis,

Atque bonos recte culta Lycea dabunt.

VI. AUCTORIBUS GYMNASII.

AUCTORES, quorum pietas & cura Lyceum

Condedit hoc, quorum nos benefacta manent,

B

Impo-

Impositi vestris cervicibus imus in altum:

Debentur coeptis cetera cuncta bonis.

Qui glaciem frangit, faciles parat omnibus undas,

Qui reperit fontes, usque ministrat aquas.

Pro vestra pietate DEUS det sidera vobis,

Floribus hic vernent vestra sepulcra novis.

Famaque, ceu fragrans stacte, diffundat odores,

Nomina ceu gemmas doctior orbis amet.

Hic tua laus nobis merito, venerande * RENECCI,

Et tua nunc, * FABRICI, laus renovanda venit

O conservetis vos munera tanta, nepotes:

Degeneres ne vos arguat ulla dies.

* *Admodum rever. & clarif. D. M. JACOBUS RENECCIUS,*
Eccles. S. Cathar. Pastor.

* *Adm. rever. & clarif. D. M. JACOBUS FABRICIUS, Eccles.*
S. Jacob. Pastor, A. C. 1611, 1612, &c.

VII. GYMNASIO.

NON EQUIDEM veteres nobis habitantur Athenæ,

Cui pro præsidio docta Minerva fuit:

Non hic est densis umbrosa Academia sylvis:

Nulla Stagiritæ culta Lycea vides:

Non hic depictis est porticus inclyta Medis,

Non pandit Babylon hic sua templa Magis:

Non Memphis, non se mæseis pluribus effert:

Urbs ab Alexandro condita, clara libris:

Nulla Palatinus certamina jactat Apollo,

Nec nova Beryti poscere dona licet:

Sunt tamen hic nonnulla: DEUS nos respicit æque,

Nec fons Pegasæ deficit omnis aquæ.

Sæpius

Sæpius haud species, sed res excellit, & usus,
Parvaque præ magnis utilitate valent.
Speramus meliora, DEUS meliora, rogatus,
(Si non destituit cura laborque) dabit.
Hæc Musis est aula patens: intrate faventes,
Sultis, & hic DEUS est, Aonidesque docent.

VIII. TEMPUS ELECTIONIS D. XI

JANUAR. AN. cIc lxx LXXV.

SOL abiit, nunc ille redit, se cardine brumæ
Vertit, & ad boreæ limina tendit iter.

Nuper meta fuit: cum Sole revertitur annus,
Spes nova cum Phœbo se referente refert.

Hæctenus & nostro Phœbus fugisse Lyceo
Visus, & his Musis lumina rara dedit.

Hujus & hæc meta est. Non hoc Helicone recedet
Longius, huic etiam reddit Apollo jubar.

Omina conveniunt. O durent munera Phœbi,
Nec posthæc Musas nulla fatiget hyems.

IX. PROFESSORIBUS ELECTIS.

FOGELI, cui divinæ rationis acumen
Acrius, & sese tota Minerva dedit:

PLACCI, quo gaudet civilis vita magistro,
Oraque cui prudens Suada diserta polit:

ANKELMANNE, suas Oriens quem tradere lingvas,
Et claves sacri jusfit habere libri:

Et, SIVERE, potens numeris, & mensor, & ala
Duplice qui terras, astraque celsa petis:

Gratulor ex animo, sociis exulto laborum

Talibus, & vobis optima quæque precor.

Vos homines fingetis, & hac ratione Promethei
Præ vestro minor est, inferiorque labor.

Cœlo direptos animis infunditis igneis,
Ut quoque sic homines sint simulacra DEI.

Auspiciis fortes faustis insistite, cœlo

Vos DEUS inspiret, vos regat, atque juvet.

Sint animi nobis concordēs, prompta voluntas,
Et junctæ vires, officiique decor.

Nulla timere decet nos monstra, nec illa Chimæeræ:
Degeneres animos arguit ille timor.

Magna ferant alii, nostris mediocria Musis
Optantur, virtus ambitione caret.

Sufficiat nobis, si quis sic dixerit olim,
Unum de nobis si celebrare velit :

Hic quoque Musarum studiis, & recta docendo
Utilis, atque suo dignus honore fuit.

*X. AUDITORIBUS, JUVENTUTI
DOCENDÆ.*

TE quoque compello, Musis addicta juvenus,
Huc ades, hoc princeps est tua causa loco.

Depositum cœli, patriæ spes, una parentum
Cura, vicens annis, moribus apta bonis,

Huc ades, & duplices tendens ad sidera palmas,
Teque para Musis, & venerare DEUM.

Hic tua res agitur: tibi docta Minerva laborat,
Et feritur, credas, hic metiturque tibi.

Instrumenta DEI sumus: hoc agitante calescunt
Pectora, de cœlo spiritus ille venit.

Hic sanctus labor est: hic, o dilecta, refingi
Debes, ut recte, quæ tibi mandat, agas.

Non

Non plumbo pectus grave sit (simulacra vetusta
Hæc quoque respicias) aurea corda geras.

Non pugnes, non te cogi patiaris : habenis

Reprimitur, stimulis non eget acer equus,
Sufficit indicium : per se contingere metam

Gaudet, & emenso vincit anhelus agro.

Nullum certamen, nisi de virtute paranda

Te decet : Aonides mitia corda volunt.

Egregias ornat generosa modestia mentes,

Qui bonus est, primo præstat ubique gradu.

Et propera, nec te venturos differ in annos.

Sæpe ferunt parvæ plurima damna moræ.

Cum nimis est serum, ne deinde queraris, & optes

Præteritos iterum posse redire dies.

Cur etiam pergas alio velisque rotisque ?

Hic est, si sapias, quod petis, ecce domi est.

De te suppleri debet Respublica, tradent

Lampada, qui cedent de statione sua.

Illustres meditare viros, horumque tropæa

Visa tot, haud segnem te tibi deesse sinant.

XI. HOSPITIBUS.

HOSPITIBUS placeant hæc nostra faventibus opto,

Et sua cum nostris jungere vota velint.

Hactenus invidiæ locus haud est : caussa que justa

Non erit, a Musis livor iniquus abest.

Hospitii vulgo laudatur tessera, Musis

Hospitii sacra est tessera, plena fide.

XII. AMICIS MUSARUM.

FAUTORES, qui nos oculis vidistis amicis,

Et quorum Musæ restituantur ope,



Quæ vos pro meritis maneant? Sibi maxima merces
Mens benefactorum conscia, grata DEO.
Vestra tamen fastis inscribet nomina Phœbus,
Dignum laude virum non sinet ille mori.
Tum pro Castalia, quæ nobis redditur, unda,
Vestra redundanti nectare vita fluet.

XIII. INIMICIS MUSARUM.

OSORUM (si sis) mala turba, quid imprecer, aut quid
(Musarum non est velle nocere) precer?
Non juvat exemplis in te pugnare vetustis,
Marsya non iterum commemorandus erit.
Nec Phrygiæ rex ille, suas qui perdidit aures,
Nec multo septum Gorgonis angue caput:
Optamus Lethen, & longa obliviam potes,
Præterea nostri ne meminisse velis.
Aut, si displiceat, tibi detur Homericæ lotus:
Mulcentem cupimus pectora loton edas.

XIV. VOTUM COMMUNE.

O PATRIA, o Europa, tuo te sanguine mersas,
In tua nunc gladios viscera rursus agis.
Pax olim facta est, & pax æterna: videte,
Nunc pacem in media quærere pace licet.
O infelices! Sed non læta omina turbo,
Musa aufer questus, ad pia vota redi.
Humanæ gentis custos, DEUS optime, rerum
Arbiter, & vindex, Aonidumque pater,
Ne noceant nostris Mavortia tela Camœnis,
Effice, da placidis atque quiete frui:

Hanc

Hanc urbem, has aras nobis defende, focosque:
Redde aliis pacem non minus, atque bona.
Tu DEUS es pacis, sunt Musæ pacis amantes,
Pessima res bellum est, optima pax & amor.

XV. POSTERITATI.

Posteritas, sis salva, precor: tua tempora vincant
Nostra, tibi plures suppeditentur opes.
Omnia præteritis antistent, laurus ubique
Crescat, & Aonia turgeat Albis aqua.
Sic adeo surgens sese fortuna Lycei
Extulerit, nullo concutienda die.
Qui quasi marmoreus pro tempore fingitur, esto
Aureus, & cœlum pulset Apollo lyra:
Si bona tanta licet post aurea secla potiri,
Si sol hic annis pluribus astra reget.
Ne, DEUS, hæc fiant aliter. Quod si omnia nobis
Non sperare licet, tu potiora dabis.
At bona posteritas, & nostra propago, nepotes
Egregii, veterum vos meminisse decet.
Omnia principiis nituntur, & omnia summa
Ex imis surgunt, queis sine nulla forent.

XVI. MIHI.

SI mihi fas de me subjungere paucula, voti
Pars prima est, aliqua posse placere DEO:
Altera pars alios, & posse juvare Camœnas,
Horum si quicquam contigit, ille dedit.

XVII. EXCUSATIO.

SI verbis ornata nimis nonnulla videntur,
Si quis, quæ fiunt, improba vota putet,

Non

Non minus his faveat. Laudantes, atque precantes
Concipiunt animis optima quæque suis,
Laudantesque optant. Petitur, quodcunque juvaret,
Quod datur, accipitur, consuliturque boni,
Optima deficiunt, semper meliora requiras :
Sunt bona non omni quæ bonitate carent.

XVIII. ALIA.

HÆC super ornato mihi sint cantata Lyceo,
His volui dictis optima coepta sequi.
Non hæc dedeceant Musas : sint omina læta
Inter, & ÆTERNÆ SINT MONUMENTA REI.

art 19 675



HAMBURGI,
EX OFFICINA GEORGII REBENLINI, SENAT.
ET SCHOLAR. TYPOGR.

M
107

INC
ATQUE
ATHE
PROFES
RUM



RI,
BLICÆ,
US,
MISSIMIS, ET
HIS,
ORIBUS,
S,
M,
LLECTO-
DENTIUM

